

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die  
Lavanter Diöcese.

Inhalt: 74. Decretum S. R. C. circa beatificationem et canonizationem servi Dei Gasparis Del Bufalo. — 75. Decretum S. R. C. circa beatificationem et canonizationem servi Dei Stephani Bellesini. — 76. Indulgentiae, concessae invocationi: „Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis“. — 77. Indulgentiae, concessae in articulo mortis quandam caritatis actum emittentibus. — 78. Indulgentiae, concessae quasdam invocations in honorem B. M. V. Immac. conceptae recitantibus. — 79. Ieiunium pro Iubilao consequendo praescriptum. — 80. Solutio dubii circa Missas de Requie pro Pontifice, Episcopo

ordinario et Imperatore. — 81. Decretum S. R. C. circa usum cantus in lingua vulgari in quibusdam liturgicis functionibus. — 82. Dritte Konferenz der Religionslehrer an den Mittelschulen und Pädagogien der Lavanter Diöcese. — 83. Einführung der Großen Biblischen Geschichte von J. Panholzer. — 84. Philosophatfurje in Salzburg im Winter 1904/5. — 85. Erkenntnis des Verwaltungsgerichtshofes in Angelegenheit der Personaleinkommensteuer und Manualmeßstipendien. — 86. Literatur. — 87. Diözesan-Nachrichten.

## 74.

## Decretum Roman. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Gasparis del Bufalo Canonici Basilicae S. Marci de Urbe Institutoris Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.

### Super dubio:

*„An stante approbatione duorum miraculorum Tuto procedi possit ad solemnum Ven. Servi Dei Beatificationem.“*

Educta ex Christi latere Ecclesia, quasi campus divino fecundatus cruento, saeculorum decursu protulit uberes fructus eosque varios, iuxta varia charismata eorum, quibus datus est excolendus, aut iuxta temporum opportunitatem, quae Dei providentia gubernantur. Inter sanctos viros Dominicæ messis operarios, peculiari quadam ratione ab ipso sanctitatis ac salutis fonte suum Apostolatum auspicatus est inclytus ille parens Congregationis Pretiosissimi Sanguinis, ad quam piae quoque Sorores eiusdem nominis referuntur, Ven. Dei Servus Gaspar Del Bufalo. Videtur enim similitudinem gerere Angeli „habentis signum Dei vivi“, quo illa nuntiantur: „Erit sanguis Agni vobis in signum“.

Ortus Romae, post actam innocentissime adolescentiam, emituit sacerdotalis virtutis exemplar. Dei amore et proximorum vehementer incensus, nullum pietatis aut caritatis officium a se alienum putavit, nullis laboribus pepercit ut hominum genus quodvis Christo lucifaceret, ita ut potenti eius ministerio convenire verba prophetae possint: „In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatorum“. Canonicus S. Marci de Urbe per insignis illius Basilicae decori atque utilitati prospexit. Pauperum pater, moerentium consolator, divini verbi praeco impiger per Italiae regiones, christiana pietatis

excitator in omni coetu, vere salus populi exstitit; ipsum vere Dominus „redemptionem misit populo suo“. Venerabilis aequo et caro, dum in mortali peregrinatione versatus est, non plebi solum, sed viris quoque dignitate ac virtute amplissimis, quos inter Summis Pontificibus Pio VII et Leoni XII; famam sanctitatis post obitum non modo confirmavit, sed auxit etiam prodigiis.

Denuo igitur agitata causa est atque instituta quaestio super duplici miraculo; quo de utroque Sanctissimus Dominus constare decrevit quarto calendas iunias volventis anni. Nihil aliud institutae disceptationi adhuc supererat, nisi ut de dubio ageretur, utrum honores Beatorum Caelitum Ven. Servo Dei Gaspari Del Bufalo Tuto decerni possent. Itaque in coetu universo S. Rituum Congregationis decimo octavo cal. quintiles habito coram Sanctissimo D. N. Pio Papa X, Reverendissimus Cardinalis Dominicus Ferrata Causae Relator discutiendum dubium proposuit: „*An stante approbatione duorum miraculorum Tuto procedi possit ad solemnum huius Ven. Servi Dei Beatificationem*“. Quotquot aderant Reverendissimi Cardinales et S. huius Congregationis Consultores, suo quisque suffragio de duobus miraculis, constare censuerunt. Sanctitas tamen Sua a supremo iudicio illico edendo abstinuit, rem gravem differens in alium diem, monuitque praesentes ut supernum lumen implorarent.

Hodierno vero die, qui Natali faustissimo Joannis Praecursoris festus eluet, Sanctissimus Pater, Sacro religiosissime litato in domestico Sacello, Vaticanæ aulae nobiliori succedens ac pontificio solio assidens, coram se

sistere iussit Reverendissimos Cardinales Aloisium Triepi S. R. C. Pro-Praefectum et Dominicum Ferratae causae Ponentem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemnni Decreto sanxit: „Tuto procedi posse ad solemnum Ven. Servi Dei Gasparis Del Bufalo Beatificationem“.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri, et in Acta S. Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas

in forma Brevis de Beatificationis solemnibus in patriarchali Basilica Vaticana, ubi primum licuerit, habendis expedire praecepsit, octavo calendas Iulias an. MDCCCCIV.

**Seraphinus Card. Cretoni,**  
S. R. C. Praefectus.

L. ✚ S.

† **Diomedes Panici**, Archiep. Laodicen.,  
S. R. C. Secretarius.

## 75.

**Decretum Roman. seu Triden. et Praenestin. Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Stephani Bellesini Ordinis Eremitarum s. Augustini Parochi in oppido Genestano.**

### Super dubio:

„An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur“.

Felici sane connubio et religiosae solitudinis et saluberrimi apostolatus, quasi *in spiritu et virtute Eliae*, viri sancti complures, quum cetero christiano gregi, tum iis potissimum, quibus animarum cura commissa est, insigni exemplo extiterunt. Duplici hac laude florentem, et coenobitae integerrimi et operarii indefessi in vinea Domini, Ecclesia Christi Sponsa exhibet hodie antiqui Ordinis Filium, qui Ordo a legifero Patre suo haud nomen tantum mutuatus videtur, sed haereditate acceptum una cum doctrina servasse flagrantissimum studium et suae et aliorum procurandae salutis. Eiusmodi fuit Ven. Dei Servus Stephanus Bellesini.

Ortus Tridenti saeculo XVIII, futurae sanctitatis auspice et quasi altricem pueritiam exegit. In Augustinensem Eremitarum Familiam cooptatus, sodalibus aequo ac praepositis admirationi fuit. Theologiae studii Bononiae vacantem, ab eo domicilio dura tempora gallicarum perturbationum cito amoverunt, et occupata pontificia illa urbe coegerunt natale solum repetere. Ibi nondum sacerdotio auctus, sacris concessionibus tam strenuam operam dedit, ut confertam multitudinem tempa vix caperent; tam sedulo in proximorum salutem incubuit, ut, viribus fractis, ad sacerdotalem inunctionem fuerit lecticā deductus. Non ita multo post, deturbatis undique per Italiam religiosis viris, Ven. Dei Servus privatam in domum cum matre sua et fratre secessit, ubi inter cetera pietatis et caritatis officia ludos aperuit pueris e populo christianae doctrinae cibo nutrientis et a miseria relevandis. Horum numerus brevi mire auctus, perditorum hominum iras in sanctum virum et vexationes provocavit, donec restitutis rebus civilis Austriae potestas Ven. Dei Servum scholis omnibus Tridentini principatus praefecit. At brevi, redintegratis reli-

giosis Familii, ad suum Bononiense coenobium Stephanus, velut ad arcam columba, retulit pedem. Mox et Romae, et in Civitate Plebis, et Genestani, sui ordinis tironibus datus magister pietatis, sapienti regimine ostendit, quanto uberiorum ex latiore campo messem foret collecturus. Patuit autem apostolico ardori Ven. Servi Dei Genestani paroecia, in qua regenda, caritate complexus virtutes omnes, animis corporibusque iuvandis ita se dedit, ut non modo meruerit appellari *pater pauperum*, sed nec dubitarit, ad similitudinem *Boni Pastoris*, animam suam dare pro ovibus suis. Cui supremo sacrificio optatam saneto viro attulit occasionem dira exorta contagio anno MDCCCXXXVIII. Ea grassante, Stephanus, dum propero incessu ad aegrotos accurrit, ex tibiae ictu, eundem contraxit morbum, quo brevi raptus est victima caritatis, die undecima mens. Februar. memorati anni.

Haec summatim pietatis et caritatis monumenta sunt, quae Ven. Stephanus posteritati reliquit; haec exempla sanctitatis; cui illustrandae quum signa et miracula non defuissent, eiusdem Ven. Dei Servi causa ad S. RR. Congregationem delata est. Edito autem Decreto approbationis virtutum a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII. fel. rec. pridie idus maias an. MDCCXCVI de duabus miraculis actum est, quae, illo deprecante, patrata ferebantur.

Horum primum in ordine propositionis, accidit in oppido Genestano, anno MDCCCLXXV. Ioannes Sarti, agricultor, acuto morbo correptus, gravi lepto-meningite spinali chronica, eo sensim devenit, ut plane paralyticus, contractis cruribus, macie enectum corpus fulcris traheret. Is, auditio, anniversariam verti diem ab obitu Ven. Stephani, templum Deiparae a Bono Consilio, miserrimo, quo solebat, incessu, adiit, ibique ad sepulcrum Ven. Dei Servi procumbens, magna voce cum lacrimis eius opem implorare suaque accusata peccata publice coepit. Ecce autem, stupentibus omnibus, confestim assurgit, projectisque fulcris,

cursu repetit domum, receptis, quibus antea vigebat, integris viribus.

Alterum contigit miraculum anno MDCCCXLV. Soror Maria Hyacintha Rebora hernia inguinali decimum septimum iam annum in civitate Ianuensi laborabat. Cuius acerbitate non minus quam diuturnitate oppressa, ita concidit ut se ad supremum iter compararet, praesertim cum medici malum insanabile pronuntiaverint, et aegrotam certis diebus elapsis morituram. Sororis cuiusdam hortatu, novendiales inchoavit preces Stephano Bellesini, et defixis in eius imaginem oculis, eumque in illa pie alloquens lacrimis, suspiriis non temperabat. Vix ultimus ab inita supplicatione processerat dies, quum illico perfecteque morbo sanata est, nullo relicto vestigio.

De utroque miraculo diligentis inquisitione instituta, confectis Apostolicis tabulis earumque agnita probataque validitate, instaurata est deinde actio primum in antepreparatorio conventu in aedibus Reverendissimi Cardinalis Vincentii Vannutelli habitu pridie calendas apriles superioris anni: iterum in praeparatorio ad Apostolicum Palatium Vaticanum coacto octavo calendas martias volventis anni; tertio denique in coetu universo coram Sanctissimo D. N. Pio Papa X. congregato postridie idus iunias eiusdem anni; quo in coetu, a Reverendissimo Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino causae Relatore, ingenti sane animi gudio propositum est dubium: „An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur“.

Sanctissimus Pater, Revmorum Cardinalium et Consultorum agnitis exceptisque suffragiis, a supremo proferendo iudicio supersedit, rem differens in alium diem, hortatus omnes qui aderant, ut interim in re tam gravi supernum lumen exposcerent.

Hodierno autem laetissimo die, qui Ioannis Praecursoris natalis festus recolitur, Sacris ante pientissime operatus, nobiliori aulae Vaticanae succedens ac pontificio solio assidens, ad se accivit Reverendissimos Cardinales Aloisium Triepi S. R. C. Pro-Praefectum et Vincentium Vannutelli Episcopum Praenestinum causae Relatorem una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni Decreto edixit: — Constare de duobus miraculis: de primo: „Instantaneae perfectaeque sanationis Ioannis Sarti a gravi lepto-meningite spinali chronica cum virium immediata recuperatione“; — de altero: „Instantaneae perfectaeque sanationis Hyacinthae Rebora ab hernia inguinali bilateralis, enormi et inveterata“.

Hoc autem Decretum promulgari et in Acta SS. RR. Congregationis referri iussit octavo calendas iulias an. MDCCCCIV.

Seraphinus Card. Cretoni,  
S. R. C. Praefectus.

L. ♦ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen.,  
S. R. C. Secretarius

## 76.

Decretum S. C. Indulg. et Reliqu., quo indulgentiae conceduntur invocationi „Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis“.

### Urbis et orbis.

Quo ferventius Christifideles, hac praesertim temporum acerbitate, ad sacratissimum Cor Iesu confugiant Eique laudis et placationis obsequia indesinenter depromere, divinamque miserationem implorare contendant, Sanctissimo Domino N. Pio PP. X. supplicia vota haud semel sunt delata, ut precibus, quae iussu s. m. Leonis XIII. post privatam Missae celebrationem persolvi solent, ter addi possit sequens invocatio „Cor Iesu sacratissimum, miserere nobis“, aliquâ tributâ Indulgentiâ sacerdoti ceterisque una cum eo illam devote recitantibus.

Porro Sanctitas Sua, cui, ob exultam vel a primis annis pietatem singularem, nihil potius est atque optatius,

quam ut gentium religio magis magisque in dies augeatur, erga sanctissimum Cor Iesu, in quo omnium gratiarum thesauri sunt reconditi, postulationibus perlibenter annuere duxit; ac proinde universis christiano populo, qui una cum ipso sacerdote, post privatam Missae celebrationem, precibus iam indictis praefatam invocationem addiderint, Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum, defunctis quoque applicabilem, benigne elargiri dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 17. Iunii 1904.

A. Card. Triepi, Praefectus.  
Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., Secretarius.

77.

Decretum S. C. Indulg. et Reliqu., quo plenaria indulgentia in articulo mortis conceditur emittentibus quendam caritatis actum.

Urbis et orbis.

Christifideles iam prope morituros pia Mater Ecclesia numquam praetermisit opportunis pro rei necessitate solari subsidiis. Saluberrimis autem hisce adiumentis recens aliud iam nunc accenseri potest. Nam plerique e Clero, iisque potissimum, qui curae animarum incumbunt, ut in dies spirituali hominum bono in supremo vitae discrimine provideatur, Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X. preces admoverunt, quo Christifidelibus sequentem actum adhuc in vita emittentibus: „*Domine Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout Tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu Tua aequo ac libenti animo suscipio*“<sup>1</sup>, plenariam indulgentiam in articulo mortis consequendam elargiri dignaretur. Has vero preces, relatas in Audientia habita die 9 Martii 1904 ab infrascripto

Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae, eadem Sanctitas Sua per amanter excipiens, benigne concessit, ut omnes Christifideles, qui, die ab eisdem eligendo, sacramentali confessione rite expiati sacraque Synaxi refecti, cum vero caritatis in Deum affectu, praedictum actum ediderunt, plenariam indulgentiam in ipso mortis articulo luerari valeant. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 9 Martii 1904.

A. Card. Tripepi, Praefectus.

L. ✠ S.

Pro Secretario:

I. M. Can. Coselli, Substitutus.

78.

Decretum S. C. Indulg. et Reliqu., quo indulgentiae conceduntur recitantibus quasdam invocationes in honorem B. M. V. Immaculatae conceptae.

Urbis et orbis.

Ex quo Immaculati beatae Mariae Virginis conceptus a. f. r. Pio IX. dogmatica definitio solemniter proclamata fuit, ardens efferbuit in Christifidelibus studium prosequendi singularibus pietatis argumentis beatissimam Virginem absque originali labe conceptam. Ad id vero studium hoc anno vertente, qui quinquagesimus advenit ab illa solemn definitione, impensis augendum, utque tam auspicatissimi Iubilaei perennis aliqua extet memoria, enixa plurium Sacrorum Antistitum, Religiosorum Ordinum moderatorum nec non Christifidelium postulationes, Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. X. delatae sunt, ut Sacro Indulgentiarum thesauro ditare dignaretur infrascriptas invocationes, quae apud Christianum populum in honorem eiusdem Immaculatae Virginis iam frequentissimae evaserunt, videlicet:

„*V. Tota pulchra es, Maria. R. Tota pulchra es, Maria. V. Et macula originalis non est in Te. R. Et macula originalis non est in Te. V. Tu gloria Ierusalem. R. Tu laetitia Israel. V. Tu honorificentia populi nostri. R. Tu advocata peccatorum. V. O Maria. R. O Maria. V. Virgo Prudentissima. R. Mater Clemestissima. V. Ora pro nobis. R. Intercede pro nobis ad Dominum Iesum Christum. V. In Concepcione tua, Virgo, Immaculata fuisti. R. Ora pro nobis Patrem, cuius Filium peperisti.*

„*Oremus, Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti; quae sumus, ut qui ex morte eiusdem Filii tui praevisa Eam*

ab omni labe praeservasti: nos quoque mundos Eius intercessione ad Te pervenire concedas. Per eundem etc<sup>2</sup>.

Porro Sanctitas Sua, quae maxime in votis habet, ut erga Deiparam honor et pietas apud omnes succrescant, huiusmodi postulationibus libentissime annuens, in Audientia habita die 23 Martii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquis praepositae, benigne concessit universis Christifidelibus: I. Indulgentiam *tercentum dierum*, semel in die acquirendam, supra relatas invocationes corde saltem contrito ac devote recitantibus: II. *Plenariam* ab iisdem lucrandam diebus festis Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariae Virg., si memoratis diebus easdem preces devote recitaverint, simulque sacramentali confessione rite expiati, Sacraque Synaxi refecti, aliquam Ecclesiam vel publicum sacellum adiverint, ibique ad eiusdem Sanctitatis Suae mentem pias ad Deum preces effuderint. Quas Indulgentias idem Sanctissimus defunctis quoque applicabiles declaravit. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 23 Martii 1904.

A. Card. Tripepi, Praefectus.

L. ✠ S.

Pro Secretario:

Iosephus M. Canonicus Coselli, Substitutus.

79.

**Ieiunium pro iubilaeo consequendo praescriptum.**

(Siehe „Kirchl. Verordnungsblatt für die Lavanter Diözese“ vom 15. Mai 1904, Stück V, Abj. 41 und 42).

Vom hochwürdigsten fürsterzbischöflichen Ordinariate in Salzburg ist unter dem 22. Juni 1904 nachstehendes Reskript der Sacra Poenitentiaria in Rom in Abschrift außer gelangt:

„**Beatissime Pater!**

Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Salisburgensis humiliter implorat facultatem indulgendi fidelibus suae dioecesis neconon aliarum dioecesum Suae Provinceiae, ut in ieiunio ad Iubilaeum lucrandum adhibere valeant ova, lacticinia et butyrum. Et Deus —

Sacra Poenitentiaria super praemissis respondet: Ieiunium pro Iubilaeo consequendo praescriptum adimpleri non posse nisi adhibeantur cibi esuriales, vetito usu circa

qualitatem ciborum cuiuscumque indulti seu privilegii. In iis vero locis, ubi cibis esurialibus uti difficile sit, Ordinarius posse indulgere, ut ova et lacticinia adhibeantur, servata in ceteris ieiunii ecclesiastici forma.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 13. Iunii 1904.

L. S.

**B. Pompili, S. P. Datarius.**

**Fr. Can. Pascucci S. P. Subst.**

Demgemäß gestatte Ich, daß am Jubiläumsfasttage, den 11. Oktober d. J., in der ganzen Diözese dort, wo es schwer ist, eigentlicher Fastenspeisen, d. i. solcher, die nur mit Öl zubereitet werden, sich zu bedienen, Eier, Milch, und Butter gebraucht werden dürfen.

† Michael, Fürstbischof.

80.

**Dubia circa Missas de Requie pro Pontifice, Episcopo ordinario et Imperatore.**

Hodiernus Reverendissimus Ordinarius dioecesos Pharen. a Sacra Rituum Congregatione reverenter expostulavit:

I. An absolutiones, quae fiunt in exequiis Summi Pontificis, Episcopi Ordinarii vel Imperatoris etc., iuxta Caeremoniale Episcoporum et Pontificale Romanum, peragendae sint a dignitatibus et in Ecclesia Cathedrali vel etiam a simplici ex clero sive saeculari sive regulari et in aliis Ecclesiis?

II. An Rubricae et Decreta circa Missas de Requie privilegiatas respiciant etiam Missas de Requie, quae celebrantur pro Summo Pontifice, Episcopo Ordinario vel Imperatore etc., ita ut hae postremae Missae nullo gaudeant speciali privilegio diebus per Rubricas vel Decreta impeditis?

Et Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto

Secretario, audito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. — „*Dictae absolutiones fieri debent a Dignitatibus et in Ecclesia Cathedrali vel in alia Ecclesia, arbitrio Ordinarii eligenda, si ipsa Ecclesia Cathedralis impedita fuerit.*“

*In caeteris autem Ecclesiis et a simplicibus Sacerdotibus non sunt facienda nisi interveniente Apostolico Indulto.*“

Ad II. „Affirmative“.

Atque ita rescripsit die 20. novembris 1903.

L. S.

S. Card. Cretoni, Praef.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.

81.

**Decretum S. R. C. circa usum cantus in lingua vulgari in quibusdam liturgicis functionibus.**

Reverendissimus Dominus Petrus Zamburlini, Archiepiscopus Uticensis, Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, reverenter exposuit, nimurum:

In extrema parte orientali Archidioeceseos Uticensis sunt paroeciae, quae in toto vel in parte constant ex incolis sermonem linguæ slavicae affinem habentibus. In duabus ex his viget immemorialis consuetudo feria VI in

Parasceve Passionem Domini lingua slavica vulgari cantandi, dum celebrans eandem latine recitat. Insuper in iisdem aliisque paroeciis supradictis a viginti circiter annis, atque opera sacerdotum agitationi panslavisticae adhaerentium, paulatim inducta est lingua slavica vulgaris in quasdam liturgicas functiones. Hinc idem Reverendissimus Archiepiscopus, ut huiusmodi functiones recte peragantur, expositulavit:

I. Num cantari liceat *Passio Domini* Feria VI in Parasceve lingua vernacula in duabus praefatis paroeciis, attenta consuetudine immemorabili?

II. An cantari possint in lingua vulgari hymnus *Tantum ergo et Genitori* et litaniae lauretanae, exposito Sanctissimo Sacramento?

III. An adhiberi possit idioma vernaculum in administratione Communioonis extra Missam?

IV. Et in administratione Baptismi?

V. Et tandem in precibus a Summis Pontificibus Missa finita prae scriptis?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia alterius ex suis Consultoribus et Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit.

Ad. I. *Negative et ad mentem*. Mens est: Responsio negativa respicit tam Missam lectam quam cantatam, et Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Utinensis curet pro sua prudentia removere abusum, ubi invaluit, et impedire, quominus alibi introducatur . . .

Ad. II. *Negative et serventur Decreta N. 3496 Praefecturae Apostolicae de Madagascar 21 Iunii 1879 ad I; N. 3530 Neapolitana 23 Martii 1881, et N. 3357 Leavenwortien. 27 Februarii 1882 ad III.*<sup>1</sup>

<sup>1</sup> En citata decreta:

3496. — Praefecturae Apostolicae de Madagascar. — Ad I. Num tolerentur cantica in lingua vernacula etiam in Missis, quae cum cantu celebrantur, salvo semper remanente usu cantandi *Introitum, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus Dei?* Et S. R. C. respondit: Ad I. „Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et officiis liturgicis solemnibus non esse toleranda, sed omnino prohibenda; extra functiones liturgicas servetur consuetudo.

3530. — Neapolitana. — Per decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 11 martii 1871 in una Burgo S. Donnini ad dubium I. re scriptum fuit posse continuari consuetudinem inibi vigentem recitandi in lingua vulgari ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sive post orationem *Deus, qui nobis, etc.* ante benedictionem, sive post istam preces: *Dio sia benedetto, Benedetto il suo santo nome,*

Ad. III. *Negative, iuxta Decretum N. 3725 Ordinis Minorum Capucinorum Provinciae Helveticae 23 Maii 1835 ad V.*<sup>2</sup>

Ad. IV. *Affirmative quoad quaestiones et responsa patrini vel matrinae, si eadem a parocho prius sermone latino recitentur.*

Ad. V. *Affirmative, dummodo versio sit fidelis et ab Ordinario approbata.*

Atque ita rescripsit, die 5 Martii 1904.

S. Card. Cretoni, Praefectus.

L. ✚ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., Secret.

etc Quoniam vero in quodam Monasterio Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti in Archidiocesi Neapolitana mos invaluit canendi post Orationem et ante benedictionem Sanctissimi Sacramenti alteram ex Antiphonis ferialibus Divini Officii de tempore occurrentem, nempe *Ave Regina coelorum, Regina coeli, Salve Regina, Alma Redemptoris*; Reverendissimus D. Gulielmus Sanfelice, Archiepiscopus a Sacra Rituum Congregatione humiliter exquisivit: I. An eiusmodi consuetudinem continuare liceat? II. An in aliis quoque Ecclesiis permitti valeat quasdam preces in vulgari idiomate recitari ante et post Sacramenti benedictionem? Sacra porro Rituum Congregatio audita sententia alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ad relationem sui Secretarii, sic rescribendum censuit: Ad I. Antiphona predictae canantur immediate post litanias, cum oratione B. Mariae Virginis congruente; si vero non cantentur litaniae, antiphona eadem praemittantur hymno *Tantum ergo*. Ad II. Negative, si immediate ante Benedictionem Atque ita rescripsit. Die 23 martii 1881.

3357. — Leavenwortien. Ad III. — Num liceat generaliter, ut chorus Musicorum (id est Cantores) coram Sanctissimo Sacramento solemniter exposito decantet hymnos in lingua vernacula? S. R. C. respondit: Ad III. Posse, dummodo non agatur de hymnis *Te Deum* et aliis quibuscumque liturgicis precibus, quae non nisi latina lingua decantari debent.

<sup>2</sup> 3725. — Ordinis Minorum Capucinorum Provincie Helveticae. — Ad V: „An consuetudo dicendi in Communione fidelium, *Ecce, Agnus Dei et Domine, non sum dignus idiomate vulgari sit sustinenda, vel potius eliminanda, utpote contraria Rituali et Missali Romano?*“ Et S. R. C. respondit ad V: „Consuetudinem esse eliminandam“.

## 82.

### Dritte Konferenz der Religionslehrer an den Mittelschulen und Pädagogien der Lavanter Diöcese.

Am 18. Juli 1904 wurde in der F.-B. Ordinariatskanzlei zu Marburg im Sinne des § 15 der h. ä. Verordnung vom 10. April 1899, enthalten im „Kirchl. Verordnungsblatte“ vom Jahre 1899, Nr. IV, Absatz 22, die dritte Konferenz der Religionslehrer an den Mittelschulen und Pädagogien der Lavanter Diöcese mit folgender Tagesordnung abgehalten: 1. Begrüßung der Erschienenen durch den F.-B. Religionsinspektor. 2. Gebet zu Ehren des heiligen Geistes. 3. Verlesung der einzelnen Referate und eingehende Besprechung derselben. 4. Mitteilung des Religionsinspektors über die bei

der Inspektion gemachten Wahrnehmungen. 5. Anträge der Konferenzmitglieder.

Zur Konferenz waren erschienen die Herren: Anton Cestnik, Religionsprofessor an den selbständigen deutsch-slowenischen Gymnasialklassen in Cilli, Anton Jerovšek, Doctor Romanus in iure canonico, Religionslehrer an der f. f. Staatsoberrealschule in Marburg, Jakob Kavčič, Religionsprofessor am f. f. Staatsgymnasium und prov. Religionslehrer an der Privat-Lehrerinnenbildungsanstalt der Ehrw. Schulschwestern in Marburg, Ferdinand Majcen, Religionsprofessor

am Kaiser Franz Josef-Landesobergymnasium in Pettau, Dr. Anton Medved, Religionsprofessor am f. f. Staatsgymnasium in Marburg und Johann Vreže, Religionsprofessor an der f. f. Lehrerbildungsanstalt und prov. Religionslehrer an der landschaftlichen Lehrerinnenbildungsanstalt in Marburg. Herr Josef Kardinar, Religionsprofessor am f. f. Staatsgymnasium in Cilli, hat sein Fernbleiben vollgültig entschuldigt. Mit Genehmigung Seiner Fürstbischöflichen Gnaden nahm an der Konferenz noch teil Herr Jakob Tajek, geistlicher Professor I. Klasse an der f. und f. Infanterie-Kadettenschule in Marburg.

Die Konferenz nahm um 9 Uhr vormittags ihren Anfang. Der Herr Religionsinspektor begrüßte im Namen und im Auftrage Seiner fürstbischöflichen Gnaden des hochwürdigsten Herrn Fürstbischofes, der auf der Firmungsreise weilte, die Anwesenden mit herzlichen Worten und gab der Hoffnung Ausdruck, daß sie, wie sie ihrer wichtigen und verantwortungsvollen Stellung als Religionslehrer sich wohl bewußt, der Einberufung zur Konferenz mit Freuden gefolgt sind, so auch demgemäß den Verlauf der Konferenz mit regstem Interesse verfolgen werden.

Hierauf wurde ein kurzes Gebet zu Ehren des heiligen Geistes mit Andacht verrichtet. Nachdem sodann Herr Religionslehrer Anton Jerovšek zum Schriftführer gewählt worden war, begann die Verlesung und Besprechung der einzelnen Referate. Die bei dieser dritten Konferenz zu besprechenden Themen lauteten:

1. Wie ist ein Jüngling in den unteren, zumal aber in den oberen Klassen des Gymnasiums vom Religionslehrer zu behandeln und zu leiten, auf daß er am Ende der achten Gymnasialklasse den Entschluß faßt, auch in Hinsicht ein religiös-sittliches Leben führen zu wollen und diesem Entschluß sicher auch treu bleibt? Referenten: Herr Ferdinand Majcen und Herr Dr. Anton Medved. Die vorzüglichen Ausführungen beider Referenten wurden mit Beifall aufgenommen.

2. Ecclesia in Christo et in Ecclesia Christus est. Dieser sinnvolle Ausspruch des hl. Petrus Chrysologus (serm. 62) ist Schülern der V. Gymnasial- oder Realschulklasse in einem etwa eine Stunde umfassenden Vortrage in apologetischer Weise zu erklären. Referenten: Herr Josef Kardinar (dessen Operat verlesen worden ist) und Herr Anton Jerovšek. Die Konferentisten sprachen sich über beide Elaborate sehr lobend aus.

3. Solnčna in senčna stran akraomatične in erotematične katehetičke metode. Kedaj je potrebna prva in kedaj druga? Referenten: Herr Jakob Kavčič und Herr Anton Cestnik. Die Konferentisten fanden das Thema in beiden Elaboraten sehr gut und eingehend behandelt.

4. Der Schulkatechet soll mit dem weltlichen Volksschulpersonale zum Zwecke einer gedeihlichen religiös-sittlichen Erziehung und Ausbildung der Schuljugend möglichst einträchtig wirken. Welcher Mittel sollen sich die Kätecheten und welcher die Lehrer bedienen, um dieses harmonische Zusammenwirken pflegen und dauernd befestigen zu können? Referent:

Herr Johann Bapt. Vreže. Die Konferenzteilnehmer erklärten sich mit den gebotenen Ausführungen vollkommen einverstanden.

